

8.  
EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
De

# ATHEIS,

Amplissimo Senatui Philosophico,  
*In Regiâ Aboënsi Academia,*  
probatam,

FACIENTE DEO GRATIAM!

*Sub PRÆSIDIO*

VIRI Celeberrimi,

DN. M. JOH. BERNH.  
MUNSTÆR/

Philos. Pract. & Hist. Prof. Reg. & Ord.  
h. t. dictæ Facult. Decano.

*Ad diem 20 Junii, properantis Anni 1699.*  
horasq; in Audit. Max. solennes,  
*Candidæ Doctorum διακρίσει, modestè*  
*submissam vult:*

SAMUEL RISTELIUS,  
Wiburgensis.

---

Impressit Jo. Laurent. Wallius.

*VIRO.*

In.

REGIAM. MAJESTATEM.

Fido.

Patri. Reverendissimo.

**DN. PETRO. LAUR  
BECCHIO:**

S. S. Theologiæ. DOCTORI.

Dicecesis. Wiburgensis. EPISCOPO

Consistorii. Gymnasii. Schola-

rumque. EPORO.

Consummatissimo.

Eminentissimo.

Gravissimo.

MÆCENATI. & PATRONO. Maximo.

*VITAM MULTAM!*

**A**nxius. licet. dubiusque.  
Calamo. totiens. sumpto. totiensq̄. de-  
posito.

Diu. hæserim.

Utrum.

Dignus. cenleri. posset.

Qui.

REVERENDISS. T. DIGNITATIS.

Subiret. oculos.

Immaturus. hicce. specu. suo. intem-  
pestive. exiens.

Ingenii. fœtus.

Et. utrum. vilissimis. hisce.

Imprudentiæ. partim. partim. im-  
pudentiæ.

Præ. se. ferentibus. speciem.

REVERENDISS. T. DIGNITATEM.

Compellare. fas. esset.

Lineolis.

Hunc. tamen.

Sive. metum. sive. pudorem.

Vicit. beneficiorum. R. T. D. magnitudo.  
Prohibuit. divinus. in. Musas.  
Earundemque. Cultores.

Ad. se.

Invitans. allicens. manuducens.

Decantatissimus. favor.

Plura. autem. licet. sint.

REVERENDISSIMÆ, TUÆ, DIGNITATIS.  
In. me. Clientulorum. minimum. merita.  
Quam. ut. iisdem.

Vel. enumerandis. nedum. remunerandis.  
Respondere. ullo. pacto. possit.

Mea. Tenuitas.

Exiles. tamen. hæc.

Studiorum. meorum. immaturas. pri-  
mitias.

Ceu.

Animi. gratissimi. pignus. validissimum.  
Venerationis. humilimæ. documentum.  
certissimum.

Obsequii. devotissimi. tesseram. cla-  
rissimam.

Ea.

Ea. quæso. accipias. benevolentia.

PATER. REVERENDISSIME.

Qua.

Parva. olim. Calabriae. dona.  
Romana, accipiebat. Magnificentia.

Ab. eo. qui.

Studia. sua. spes. suas. se. deniq;. ipsum.  
Animo. humilimo. &. addictissimo.

REVERENDISSIMÆ. TUÆ. DIGNITATI.

Dedit. Traditque.

Vive.

Inclitum. Ecclesiae, Sidus.

Virtutis. &. Sapiëntiae, singularis. Mæcenas.

In. annos. seros.

Quam. diutissime. quam. felicissime.  
Superstes.

Quod. vover.

REVERENDISS: TUO. NOMINI.

Æterno. devotionis. Sacramento.

Devinctissimus. Cliens.

*Samuel Ristelius.*

*Admodum Plurimumque  
Clarissimis &*

**DN. M. PETRO CARSTENIO,**

Dicæcesis Wib: Archi-Præposito, ut &  
Urbis, adnexarumq; Ecclesiarum Past.  
Gravissimo, S. S. Th. Lectori primario,  
Celeberrimo, Consistorii Seniori Am-  
plissimo, Patrono & Mæcenati magno.

**DN. MATTHIÆ MARTINIO,**

S. S. Th. Lectori Dexterrimo, Consist.  
Adlessori Spectatissimo, Præp. & Past.  
in Säckerswî longe Dignissimo, Mæ-  
cenati & Promotori humiliter & ob-  
servanter suspiciendo.

**DN. DN. M. M. Regii Gymnasii Wib.**

LECTORIBUS Phil. Dexterrimis, Consist.  
Assessoribus Laudatissimis, Promotori-  
bus & Benefactoribus æternū colendis.

**DN. JACOBO HELSINGIO,**

Arcis Suburbique Wiburg. Sacella-  
no Solertissimo, Evergetæ & Fauto-  
ri longè honorando.

RIS

*Reverendis, Spectatissimis,  
Humanissimis,*

DN. M. ARVIDO ALOPÆO,

Ut non ita pridem in Reg. W. Gymn.  
El. Lectori Consistorialiq; Dignissimo,  
ita jam Præposito & Pastori Borgo-  
ënsium dudum Meritissimo, Mæce-  
nati submissè colendo.

DN. M. GEORGIO HELSINGIO.

Ut hætenus Arcis Suburbiiqve Wi-  
burg. Pastori, Consistoriiqve Adse-  
lori Optimo, ita jam Præp. & Past.  
in S. Michel Amplissimo, Promotori  
multis nominibus devenerando.

DN. REGNHOLDO HARTZ/

Pastori in Jachimwara per multos  
annos Vigilantissimo, Evergetæ & Be-  
nefactori plurimum observando.

DN. ZACHARIAE SIZDEN-

SNORÆ/ Sacellano in Sactola per  
annos multos assiduo, Adfiri & Fau-  
tori Optimo.

Incultum. hoc,  
Academicarum. lucubratio-  
num. tirocinium.

In. beneficiorum. longe. maxi-  
morum. qualemcunque. me-  
moriā.

Spemque. benignæ. olim. pro-  
motionis.

Quia. debuit,  
Sacrum.

Submissè. & observanter.  
voluit.

*Samuel Ristelius.*

Candi-





Candido & Benevolo LECTURO

Εὐπερίτερον!



I, quam tulit, Poëtarum ille Cori-  
phæus \*

Sumite materiam vestris, qui  
scribitis, æquam

Viribus -----

*Lex esset strictissimi juris, perpetuaque apud  
omnes omnino obligationis, abest tantum, ut  
intricato huic, variis sententiarum divortis  
aliisque mille subtilitatibus obfusato, qui o-  
culos tuos jam ferit, manus admovissem  
discursui, ut potius ab eodem, tenuitatis  
meæ probe mihi conscius, plane abstinissem.  
Aft, si in magnis, etiam voluisse, satis est,  
eo quidem promptiorem nobis vel hoc nomine  
pollicemur veniam, quo festinabundi magis  
precipites q̄, hoc quicquid est egimus; cum sc.  
intra octiduum fere, ad umbilicum deducen-  
dus*

\* Horat. art. Poët. lib. ad Pison.

*q̄ maji ex voto q̄ in p̄ter  
seum regim̄t.*

*non p[ro]p[ri]e q[ui]d. m[er]it[um]*

dius esset, quem nobis inopinatò proposuimus, labor, quo potuimus eundum erat, non quo volumus. In hisce ergo, ea licet ubivis obvia sint, que cruda minusve cocta palato tuo non allubescunt, ea temporis potius supra indicata brevitati partim, partim etiam subsidiorum, in re tam abditâ, data velut opera se subducentium, defectui, quam nostre imputatum eas incuriæ, obnixè desideramus. Quâ si beatos nos senserimus veniâ, humanitate tua suffulti etiam imposterum, non de futuris modo meliora, haud vani fortassis augures, possimus ominari: sed & ad referendas tibi nullo non tempore gratias, ardentissime devincimur. Vale, & quod facis, conatibus nostris, quâ es humanitate, benignus fave!

*in effectu vero nobis vultu fecerunt  
sunt perniciosa h[ab]entia  
armis. in excessu  
gubernati*

DISQUI

*B. Casp. Lang. in hac disertatione p[ro]ter  
accertiores, etiam in, qui contra  
atheos et p[ro]p[ri]a memoria, summa  
in laude egerunt*

*De quo scribit Luther in libro in ep. ad romanos, p. 65 f.*

DISQUISITIONIS  
DE ATHEIS.

§. I.

**Q**uamvis evidentissimæ istius, quam, Ter Opt. DEUS, mentibus nostris implantatam voluit, propositionis veritas, DEUS est, ita in hominis animo radiet intellectumque ejus convincere apta nata sit, ut ulterioris omnino vix indigere videatur confirmationis: Eo tamen impietatis processisse sacrilegam Mortalium, cæco affectuum aliorumque præjudiciorum impetu, delirantium audaciam, ut non vita tantum factisve, sed & recalcitrante licet propriæ conscientiæ aliud suadentis, dictamine, externa vocis confessione adperite proditâ, DEUM sanctissimum, ausu plusquam cyclopico negare sustinuerint, quis est qui non miretur? Nobis autem meliora, laus DEO! edoctis, cum aliud suadeant, *partim* yana ratio, *partim* vero argumenta plurima & miracula, *partim* traditio etiam perpetua inleverit, (a)

A

ut

(a) Grot: de J. B. & P. in prol.

*De notandis v. an. p. v. planioribus  
p. notandis v. an. p. v. planioribus  
ad huc ab ipse est*

ut sacras pandectas exceptione omni  
superiores (β) de industria taceamus;  
Abest tantum, ut horrendæ huic, tam in  
sanctissimum DEUM, quam univertum  
humanum genus, impiæ (γ) petulantia,  
nostrum præbeamus adsensum, ut potius  
ab eadem, ceu ratione recta utenti-  
bus, Christianis præprimis indignissima,  
amplum faciamus secessum.

§. II.

Hæc autem singula, cum adcuratoris  
nonnihil iudicii lima deterere, im-  
præsentiarum sedeat animo, mox in li-  
mine observamus dupliciter potissimum  
â recto rationis tramite (quæ est hu-  
mani ingenii perversitas) solere aber-  
rari; excessu scilicet & defectu; illo qui-  
dem, quando cultus divinus super-  
fluo quodam contaminatur, non qui-  
dem, quod observat Clariss: Woff: (δ)  
quasi verus DEUS, cultu nimio coli un-  
quam possit: Sed, quia in materiam cul-  
tus accedat, quod eum corrumpit; hoc,

(β) Rom. 1. 19. (γ) Pufend: F. N. & G.  
p. 390. (δ) de Idol. Lib. 1. p. 16.

vero, quando inducitur Divini Numinis contemptus. Prior iste, quemadmodum *δεισιδαιμονία* i. e. *Superstitio*, ita posterior à *ἄθεός* h. e. *irreligiositas* nuncupari sueverunt: Et licet, utrumque horum, veræ religioni, examussim contrarietur, hoc, tamen, illo, longe censeri debet, & deterius, & periculosius: Nam, quãvis omnes veræ religionis corruptiones, dicente *Claub:* (1) addendo potissimum subtrahendoque contingant, hoc tamen periculosius magisque enorme, vel hoc nomine existit, quod is, quem religionis evertendæ cæpit ardor, facillime ab unius contemptu pergit ad spernendum aliud, & ita continuando, totam religionem tandem tollit; Atheusque adeò, qui longè peior superstioso est, inauspicato evadit. In cujus considerationem descensuri, observamus vocem Athei, quam Dissertationi nostræ volumus præfixam, Græcis debere originem, esseque vocem compositam

A2

ab

(ε) *De cogn. DEI & nostr. Exercit. 73. §. 13. p. 355.*

*Ab. Ath. respicitur Emth.*

4

ab à priv: & Oeds, adeo ut vi vocis, nil aliud, quam eum, qui quasi sine DEO in mundo est, intinet; quorum & respicere crediderim nostrates, dum hominem extremæ impietatis expressuri, **Sudlōs** appellitant: non quidem, quasi esse possit aliqua Creatura, quæ sine divino concursu, vel ad momentum subsistere possit, cum, ut in esse, ita etiam in conservari, ab eodem unice dependeat; Sed quia hujusmodi homines, quos Atheos nuncupamus, cum vel vita factisve DEUM negent, vel insitam illam Divinæ existentia, mentibus suis notitiam extirpare allaborent; quasi extra DEUM positi esse videntur. Deinde (ut & illud in transcursu indigitemus) non considerandos h. l. Atheos nobis proposuimus *Biblice*, quo sensu Atheus est, qui nullam S.S. *rejad* habet cognitionem, quomodo explicandum Paulinum istud classicum (ζ) quando gentes quondam à Deo b. e. sine DEO in mundo fuisse asserit: sed

(ζ) Eph. 2. 12.

*Si dicitur nota de Deo habemus, et  
 e. nauti... gratia... respicitur.  
 ita ut ignominia... a nauti...  
 velut... privatione... defectu  
 gratia...*

merè Philosophice, prout scil: eosdem, ad  
inatarum illarum, mentique nostræ,  
ut loquitur D. Dannhav. (η) antequam ra-  
tio se exerere & vindicare incipiat, inde  
â nativitate impressarum <sup>in Placida</sup> trutinam, exi-  
gimus & examinamus. *Synon. x. & possunt  
fuerint impij, Theo.*

§. III.

DEFinitionem autē atheismi, talē ex-  
hibet, subnectendo exempla, Magnif.  
D. Dannh. (θ) quod sit religionis omnis con-  
temptus, â quo non multum abludit ista  
Wossii (ι) quando eum divini Nōminis  
contemptum appellitar, unde in proclivi est  
decernere, quomodo coloribus suis adum-  
brandus sit in concreto Atheus, qui  
scil: Religionem, quocunque tandem modo id  
fiat, insuper habet. Species Atheorum,  
quod attinet de iis non convenit inter  
Authores, quibusdam quatuor, quibus-  
dam novem, quibusdam vero plures, con-  
stituentibus. Nos vero, salva Virorum  
Eruditissimorum Authoritate, cum  
tritam illam solennemque, receptam

A 3

(η) Hodof. Phan. 6. p. 466. (θ) Hodomor.  
part. 1. p. 9. (ι) de Idol. p. 16.

*inter 200. ab ad 5 xuy  
19 formez. 2. p. 20*

haecenus in Scholis, Athei in *Specula-*  
*tivum & Practicum*, divisionem, vel hoc  
 nomine, quod partim primo mox intu-  
 itu se cuique satis superque prodat,  
 partim etiam singulas, quas recen-  
 sent alii, sinu suo foveat, optimam ju-  
 dicemus, operæ pretium non ducimus,  
 ut, multiplicando entia præter necessi-  
 tatem, nodum in scirpo: quod ajunt,  
 gratis quæramus. Ut ergo in re satis  
 manifesta breviores ducamus lineas;  
*Speculativum*, communiter, hujus farinae  
 venditant, qui *ratione doctrinae & animi*  
*talis est; Practicum* vero, qui *ratione vi-*  
*tae & factorum*. Et licet utrumque no-  
 bis proposuerimus examinandum, cum  
 tamen posterioris hujus existentiam,  
 experientia, proh dolor! non sinat el-  
 se dubiam, utpote quem & in medio  
 Christianorum cætu haud rarò reperies,  
 & de priori, maximæ, sint inter Eruditos  
 præsertim, lites, illi plenius nonnihil im-  
 morabimur; ita tamen, ut etiam in poste-  
 rioris hujus, facta obiter ejusdem men-  
 tione, paucissimis inquiramus, indolem.



Mota fuit hæctenus, moveturque hodiernum, inter doctos controversia, an scilicet dentur actu, an vero dari saltem in rerum natura possint, Athei, quos, sic appellitant, speculativi? Cui quidem arduo discursui feliciter expediendo, adprime conducit, ut antequam nostram super hac re pandamus mentem, in antecessum controversiæ statum, rite formemus, quò, partim evidentius nostrum existat iudicium, partim conciliari possint, quæ circa hoc punctum in varia sententiarum divortia, abivisse videntur, Authores. Præmoneamus igitur, heic non venire nobis in disceptationem (a) ignorantiam, quæ sic dicitur, adfectatam, sed veram omnino. (b) nec vocem Athei, in eo significato, pro ut eum importat, qui DEUM, quantum quidem in se est, nescire non vult, sed eum, qui, ut loquitur Mejer:

(κ) *totalem habet Nominis ἀναίσθησίαν,*

&

(κ) *instit. Pneumat. p. m. 273.*

& in quo nulla omnino religionis adparent vestigia: adeoque (c) non illum hic indigitamus, qui in tentationibus gravissimis, aliisque inopinato incurrentibus malis, vel subdubitat de DEO, vel eundem non esse aliquamdiu sibi imaginatur, quin potius talem, qui perseveranti, & secura animi persuasione, eundem non esse, & firmissime, & constantissime credit. Tales autem, (ut quid de his sentimus, libere profiteamur) actu datos unquam, aut dari saltem *ordinarie ac naturaliter* posse, prae euntibus omnibus, & ratione, & revelatione recte utentibus Philosophis, quicquid opponant sententiæ contrariae defensores, sine rubore, simpliciter & *ἀπολόμους* inficiamur.

§ V.

**U**bi quidem caute omnino ac notanter dictum volumus *Ordinarie, & Naturaliter*, Neque enim sumus tam stricti, ut eamus cæteroquin inficias, posse aliquando evenire, ut homo qui im-

*ab alio cuiusdam nomine est pe-*  
*ccata re bona sequor aut me-*  
*de (c) & cruce in est no*

pune quævis sibi polliceri scelera visus est, sub statu quodam accidentario evadat Atheus, si videlicet Ter Opt: DEUS, ob antegressam extremam malitiam, justo iudicio, aut ὀλικῶς & totaliter, extirpet ex ipsius mente, aut etiam, quo minus se in actum deducere valeat, per subtractionem sui concursus sufflaminet, quam ei antea de sui existentia, implantaverat, notitiam. Licet, autem, hæc, in se satis superque vel meridiana etiam luce constent clariora, & contra negantes principia (quales sunt qui DEUM inficiari non erubuerunt) non sit disputandum, cum is adeo in rebus omnibus sese pinxerit, ut refutatione omni videatur indignus, qui, quod ostendunt sensus, comprobant ratio, negare sustinet; operam interea non estimamus nos perdituros, si iis, qui in Opt. DEUM debacchari non verentur, nos opponendo, aliquod huic veneno paremus antidotum. Scilicet, præter id quod omnis, quæ a natura inest, animæ perfectio, & universalis sit &

B

per

*Vid. Donati Instit. Pneumat. pag. 63.*

perpetua, fieriq; non possit, quin unus-  
 quisq; subinde vim sentiet divinæ noti-  
 tiæ, perq; eam convictus intra animum  
 reddatur certior, quotiescunqve in il-  
 lius, aut cogitationem descenderit, aut  
 F disputationem, præter id, inquam, con-  
 futatur etiam impia hæc & cyclopica  
 (licebit eam sic appellare) stultitia, nul-  
 lo negotio ex ipso, propriæ conscientiæ,  
 aliud identidem inculcantis, dictamine;  
 quod cum mille etiam testibus præpon-  
 deret, testimonium non potest non, de  
 Summi Numinis existentia, qui invito  
 etiam homine hoc *νόημα DEUS est*, exscul-  
 ptum cupit, ut erudite loquitur *Clariss.  
 Zentgrau.* (λ) infallibiliter perhibere:  
*Conf. D. Balduin:* (μ)

### § VI.

Unde quam frustranei fuerint, eorum  
 præsertim, qui in cæno voluptatum  
 quarumvis, volutari summam duxerunt  
 delectationem, hanc, ut meliorem sibi  
 pec-

(λ) de *J. N. art. 3. §. 27. p. 78.* (μ)  
*Corament. in Ep. P. ad Rom. p. 28.*

peccandi pararent licentiam, de DEO  
 notitiam eliminare, summo nisu alla-  
 borantium, conatus, ex infra dicendis,  
 cum DEO, uberioribus patefcet. Quid?  
 quod & cor citius, docente D. Kro-  
 maj. (v) e pectore miseri evellerent?  
 Et unde quæso angores, mærores, a-  
 liiq; post commissum scelus, in conscien-  
 tia, sævi morsus, qui nullo consilio vi-  
 tari, nullo robore contemni, nulla de-  
 niqve ratione sedari possunt, ut loqui-  
 tur D. Qvensted: (o) in eos etiam e-  
 vadentes, qui omni potestate humana  
 sunt superiores, quos licet Fortuna pæ-  
 nis liberet, perpetuis tamen vexati an-  
 goribus, & in conscientia sua, quæ car-  
 nificis locum obtinet, plumboqve ipsis  
 incumbit gravius, doloribus, a metu i-  
 sto liberari non possunt, Scilicet, in-  
 nata illa & implantata hominum men-  
 tibus Summi Numinis, de hujusmodi  
 sceleribus, pœnas olim sumturi gravif-  
 simas, idea,

B2

Se-

(v) *Theolog. pag. m. 116.* (o) *Theolog.*  
*part. 1. pag. 283.*

--- Secretam gannit in aurem ( π ) Et  
 Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit  
 intra

Pectora, pro facto, spemque metumque  
 suo ( ρ )

Cui ex asse consonat istud Juvenalis ( σ )

--- --- --- Cur tamen hos tu  
 Evasisse putes, quos diri conscia facti  
 Mens habet attonitos & surdo verbera cedit  
 Occultum quatiente animo tortore fla-  
 gellum.

Unde etiam egregie metu Numinis,  
 rerum, quæ in terris geruntur viden-  
 tis, a sceleribus dehorratur Ovid ( τ )

--- --- --- Expedit esse Deos,  
 Nec secura quies illos similisque sopori  
 Detinet, innocui vivita, Numen adest :

Et quamvis aliquando ita sopita vi-  
 deatur ( quæ etiam exinde cauteriata  
 dici (vevit) Hominum conscientia, ut  
 quasi sine sensu, sine metu Numinis, ex  
 scelere uno ruant in aliud, istudque Scyllæ

( π ) Pers. Satyr. 5. ( ρ ) Ovid. fast. 1.

( σ ) Satyr, 13. ( τ ) de Arte aman-  
 di lib. 2.

apud *Ovid* (v) subinde frequentent.

----- sibi quisque profecto

Est DEUS -----

Exinde tamen, notitiam hancce penitus extinctam non credendum est, duplex est illa, *actualis & habitualis*; hæc somno, illa vigiliæ, non male ab Arist: comparatur: tantum autem abest, ut ita sepe liatur semper, ut potius tandem discusso velut sopore adsit testis, larvaque detracta rem repræsentet, ut ingeniosissime D.Dannh. (Φ) & notatu sane dignum est, quod si non antea evigilet, tum sane, quando mors eminus digitum intendit, expalescit, exanimatur, liquefcit, in extremo demum agone tandem desperabunda, quamcunque divinitatis speciem amplectitur, quamcunque religionis umbram dubia captat. Adeò, scilicet, naturam conscientiamque coercere est difficile, quæ sese & omnibus horis, & illa præsertim suprema, vadimonio quasi sistit. Quid? quod in iplo etiam  
sce-

(v) *Met. lib. 8. fab. 1. v. 70.* (Φ) *Theol. conscient: Tom. 1, p. 169.*

sceleris, actu, ratio quandoque se vindicer, melioraque subinde svadeat: Nota est vox Neronis apud Sveton: (x) *Di-vo deformiter ac turpiter.* Et unde quælo, nisi essent homines alicujus divinitatis conscii, bonæ conscientiaæ lætitia & securitas, in ipsis etiam Ethnicis sese prodens. Nota pariter est vox Platonis: *Bona conscientia est nutricula senectutis;* & Horatii (ψ)

----- *Hic murus abeneus esto*  
*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

§ VII.

**R**erum autem harum, ampla admodum apud Poetas, Oratores, Historicos aliosque Gentilium Scriptores, est seges. De Theodorico Ostro-Gothorum quondam Rege, refert *Spondanus*, (ω) quod paulo postquam Symmachum decollari jussisset, ei caput piscis apponeretur, istud, tanquam Symmachi, torvo vultu, ruinam & interitum sibi minantis, exhorruerit. Neminem quoque latet quæ de Alex: M. Cliti latus ha-

(x) in ejus vita cap. 49. (ψ) *Epist.*  
 lib. 1. (ω) ad an. 528.



hastam transigente, habet Curtius noster, (a) quod postera, post commissum scelus, die, tantes senserit conscientiae stimulos, ut praeterquam, quod hastam e corpore jacentis retorserit in semet, petus haud dubie, ni advolassent, qui repugnanti e manibus extorquebant, Vigiles, percussurus, etiam circumstantes oraverit, ne se tanto dedecori paterentur superstitem. Quid? quod & A-

postolus (β) *quem* *quem caeli rota tertia vidit*  
 Ἰεσοῦ γενεσος, contra gentes disputans, a posteriori, ex ipso conscientiae fonte, hanc de DEO derivat notitiam.

### § VIII.

Reclamat etiam stultae huic ac plusquam absurdae, quam impii isti homines, vel fovendam susceperunt, vel defendendam, sententiae, unanimis omnium gentium & populorum, saltem sanctorum, in hac una re, ut loquitur *Laetant*: (γ) non dissidentium, consensus.

Hinc

(a) lib. 8. cap. 2. (β) Rom. 2. v. 15. (γ) de falsa relig. cap. 21.

*Il voce in se dicitur legere mentem g...  
 habet... qui...*

Hinc, idem, urgentibus Aristotele & Cic: pronunciare non veretur Seneca: *Nulla unquam gens, adeo extra leges moresque fuit projecta, ut non aliquos credat Deos.* Paucissimorum, autem, contrarium urgentium, impium furorem, non magis communi huic notitiæ officere docet *Magnif: B. D. Qvensted: (d) quam paucorum hominum mente captorum, evertere hominis definitionem.* Neque vero obstat, quod non semper, apud eos præprimis, quorum mores adeo sunt efferati, ut animalibus brutis, quam hominibus ratione præditis accedere videantur propius, hæc notio non inveniat adensum: Nam, quæ natura nota sunt, non illico apud omnes semper sunt in confesso: Naturaliter, haud dubie, citra specialem quandam revelationem constat, dari e. g. tres syllogismi figuras, tantum tamen abest, ut omnes in hoc consentiant, ut, vel inducti præjudiciis, vel principiis peregrinis, aliud potius tanquam pro aris & focis defendant. Stultum ergo

(d) Theol. part. 1. pag. 259.

go & ridiculum quid ducemus magis quam iis, quæ toti alias mundo probantur, ausu nescio quo, contrariari? Offam denique impiæ huic, quam diximus, perversitati, injicit, occulta & prona omnium hominum, omnibus seculis ad religionem propensio. Inventi quidem sunt, hodieque fortassis inveniuntur, homines, qui silvis more pecudum oberantes, sine rege, sine lege, vivunt, sub dio degunt, & obvia quævis depascuntur: at qui religionis, qui omni Numinis sensu destitueretur, inventus adhuc nullus. Nimirum, ut doctè differit *Morneus* ( 3 ) non tam naturale est homini societatem inire, injurias cæli arcerè, vitam ipsam tueri, quam ipsum vitæ agnoscere auctorem, agnitumque naturæ opificem venerari. Et licet ( qui est agnatus mortalibus error ) homines, deinceps, per errorem varium, divinitatem etiam Creaturis adscripserint: Exinde tamen, ipsam Divini Numinis notionem, vel delirantis Phantasiæ, vel

C

male

( 3 ) *De verit. Christ. rel. p. II.*

malè etiam sanæ rationis esse imaginem, audacius, sine omni fundamento dicitur, quam defenditur; præsertim, cum ab errore in applicando, ad ipsam rei veritatem infringendam, infirma admodum videantur, & quæ, a baculo ad angulum procedit, justo liberalior collectio. Conf: *D. Kromaj.* ( ζ )

§. IX.

Opponunt se tandem absurdissimis hisce dogmatibus, egrègia plane, quæ posteritati auspiciatò reliquère sapientiores gentilium, sive divinum cultum, sive ejus denique existentiam, concernant, numero tantum non infinita, scripta & volumina. Quæ, cum nullius non terantur manibus, non est è re, ut his diutius immoremur. Quid mirandam heic mundi, partiumque ejus, ut oculis, ita animo, gratisfirmam, loquor dispositionem? quid certum istum fixumque, qui tam in minimis, quam maximis conspiciendum sese præbet, naturæ ordinem?

dinem? quid fluviorum perennitatem, perennem ac æquabilem cœlestium corporum motum refero? quæ singula ingeniosissime, pro suo more persequitur *Le Grand*. ( η ) Conter *Hug. Grot.* ( θ ) vides etiam *Barclaj.* ( ι ) Ex quibus omnibus, utpote, non tantum menti nostræ maxime obviis, sed & oculorum aciei clarissime expositis, τὸ γνωστὸν τῆς Θεῆς ad ἀναπολογίαὺς usque deducit Magnus Ecclesiæ Doctor & Ductor ( κ ) ; quorum & digitum intendere videtur alibi Spiritus DEI ( λ ) &c. Brevitas autem cum singula vetet persequi, & sensum omnem penitus exuisse videatur, qui hæc non palpet, non capiat, non agnoscat; concludimus cum *Ampliff. B. D. Dannb.* ( μ ) *Quot sunt in mundo Creaturae, tot radii testes Solis æterni, adeo ut exclamare liceat cum Lucano* ( ν )

## C 2

- S1-

- ( η ) *Inst. Phil. Cap. 2. de S. N.* ( θ ) *de Ver. Rel. Lib. 1. §. 8.* ( ι ) *Argen: L. 5. c. 12. p. 634.*  
 ( κ ) *Rom. 1. 19.* ( λ ) *Pf. 19. Sap. 13. Job. 12.* ( μ ) *Hodof: Phan. 9. p. 865.*  
 ( ν ) *Lib. 9.*

- - - Superos quid quarimus ultra?

Jupiter est quodcumq; vides, quocumq; moveris.  
 Hinc etiam factum non sine ratione cre-  
 diderim, quod cum alias sæpissime, nun-  
 quam verò in Atheorū gratiam, sive sa-  
 cram, sive prophanas, deniq; consulas Hi-  
 storias, patrata legantur miracula, cum  
 nihil in mundo tam excogitari possit  
 exiguum, nil tam excelsum, quod Di-  
 vinam non modo arguat existentiam,  
 sed & in ejus sapientiæ atque potentiæ,  
 summam rapiat admirationem:

*Præsentemq; refert, qualibet verba DEUM.*

§. X.

**N**on ignoro, quosdam, etiam, eò au-  
 daciæ cum Epicuro progressos, ut  
 mundum, aut DEO coæternum, aut for-  
 tuito etiam atomorum concursu factum  
 & crediderint, & docuerint: *hi*, tamen  
 recte per eos, qui meliorem hoc in pun-  
 cto fovebant opinionem, *illi* vero per  
 seipsum, dum eo ipso à quodam factum  
 agnoscunt, rectissime refutantur. Et

si,

*per se, ut dicitur a philosopho  
 esse omni existat.*

fi, ut erudite *Tullius* ( o ), mundum ef-  
ficere potuit fortuitus atomorum con-  
cursus, cur templum, cur domum, cur  
urbem non potest, quæ sunt minus o-  
perosa, & multo quidem faciliora? Et  
sane, ut scite *Le Grand* ( π ) Si atomi,  
se generandi producendive vim ha-  
bent, cur eadem hodie non præstant,  
cur hodie novi montes aliique in altum  
colles non porriguntur? Taceo Scri-  
pturam, mundi in tempore creationem  
expresse asserentem, ut omnis omnino  
*ulterius dubitandi ansa præcidatur.* Quæ  
vobis, homines, & in DEUM Sanctis-  
simum, quem non tantum in tota re-  
rum universitate sed & propriis vestris  
animis repræsentatum intellexistis,  
impiissimi, & in propriam conscientiam  
iniquissimi, plura opponamus? Miseri  
vos & perdit, qui DEUM optimum  
obliviscendo, vestri, vos, oblitos, non vi-  
detis, qui formam & naturam vestram,  
quantum equidem in vobis fuit, ausu  
nefan-

( o ) *Lib. 2. de Natur. Deor.* ( π ) *Inst.*

*Phil. p. 194.*

*glând ne trizent, a volantes noster  
grine d cerebro. ju ad pæpæy. & ceter  
est in fæim! dettable quæm!*

nefando, pejorem reddidistis, corruptistis, oblitterastis.

§. XI.

**N**equè vero huic nostræ, quam §. hinc antecedaneis simplicissime propugnauimus, sententiæ, obstare quoquam modo posse existimamus, quod, & apud veteres olim, omnium, aut certe plerorumque opinione, habiti sint Athei, Protagoras, Diagoras, Theodorus Cyrenianus &c. alique, quos magno cumulo recensitos, videsis apud *D. Gerbard;* ( ρ ) & hoc etiam seculo per plures hujus perhibeantur farinæ, qualem fuisse putant, Julium illum Cæsarem Wanium, Philosophum insignem, quem citat *D. Scherz.* ( σ ) qui, postquam binis libris publicæ luci datis atheismum sparsisset, eundemque cum tredecim sociis aliis, missis per orbem propagare cœpisset, Tolosæ demum deprehensus, ibique combustus, ad extremum usque vitæ halitum, in hac sua impietate infeli-

( ρ ) *Theol. p. 658. seqq.* ( σ ) *System. Theol. loc. 1. §. 2:*



felicissimus permanſit. Non, inquam,  
 hæc tanta ſunt, ut aliquam hinc aſſer-  
 tionem noſtræ metuamus ruinam: Tan-  
 tum quippe abeſt, ut nobis perſuade-  
 amus, eos eapropter infami hoc no-  
 mine notatos, quod nullum plane DE-  
 UM agnoverint, quin potius, quod fi-  
 ctitios illos commentitiosque, quos vul-  
 go colerent, Deos, riſerint ſibilisq; ex-  
 ploſerint. Egregie & apte in hanc rem  
*Woffius* ( τ ) *Eone*, inquit, *Anaxagoram* &  
*Deov* & *ἀσθεῖν* putabimus? *abſit*, quin po-  
 tius ipſos *Judices*, iam horrendi criminis  
 agimus reos. Hæc ille. Accedit, quod  
 & ipſos Chriſtianos, cum fictitiis iſtis  
 Paganorum Deaſtris, ſua offerre detre-  
 ctabant officia, infami hac macula fu-  
 iſſe inuſtos, ex *hitoriis ἀξιώματις*, ac-  
 cipiamus, Quod ſi autem aliqui for-  
 taſſis fuerint, qui DEUM doctrina ag-  
 greſſi ſunt negare, id tamen ex perverso  
 potius famæ vanæque gloriolæ pru-  
 rito, quam ſeria animi ſententia, eve-  
 niſſe nemo ignorat: & ſi vel maxime,  
 rem

rem serio sint aggressi, intentionem tamen, meri duntaxat voti, omni prorsus carentem successu, experientia docuit: Si autem habuit aliquem fortassis intentio successum, fuit iste saltem temporarius, adeo, ut superato furoris paroxysmo, mens ad seipsam redierit, retinueritque postea, pristinam ac velut nativam sententiam. Si autem (quod & contigisse, historiæ non sinunt dubitare) conjuncta forsitan fuit cum perseveranti & finali persuasione, abest tantum, ut in statu naturali, qui in homine conscientiam requirit, fuerint constituti, ut potius respectu antegressæ extremæ malitiæ, a DEO, tanquam justo Judice, in sensum reprobum datos, constitutosque adeò in statu extraordinario & accidentario, non sine ratione dicamus. Quo quidem, ut ex superioribus patuit, sensu, dari posse Atheos, nunquam sumus inficiati. Quibus, quæ habet *Celeb. D. D. Calov. (v) & B. Hulf: (φ)*

cum

(v) *Theol. Posit. part. I. c. I. §. 151. (φ)*  
*Cap. II. Breviar: Theol. §. I.*

cum Atheos non per naturam, sed excæcationem, dari contendunt, examissim concordant.

§ XII.

Multo minus istud putamus sententiæ nostræ officere, quod dicantur in Scripturis ( φ ) Gentiles servisse iis, qui non erant τῆ φύσει Dii, utpote Neptuno, Mercurio &c, & perhibeant Historiæ, ( χ ) homines, eo olim venisse dementiæ, ut non inanimatis tantum utpote Mineralibus, astris &c. animatisque, sed &, quod auditu horribile, ipsi etiam Diabolo suum detulerint cultum. Non, inquam, hæc, si non sunt pro nobis, sunt contra nos. Quid enim ostendit Deastrorum hic cultus aliud, quam habuisse eos, licet in applicatione, & gravissimum, commiserint, & crassissimum errorem, aliquam de DEO notitiam? Majorem quidem hau-

D se-

( φ ) Galat. 4. 8. ( χ ) vid. integr. tractat: Woff: de Idol. item Mosen Maimonid. & Seld. de Diis Syris.

serunt ex libro naturæ verissimam; verus DEUS est vere colendus: sed sub hac majori de Jove, Bove, Crocodilo, &c. malè sublumentes, stulti facti sunt in suis *διαλογισμοῖς*; quamvis haud immerito, inter Eruditos, & vulgi fecem, intersit distinxisse: vulgus namque, licet amore patriæ, religionis *πολυθεΐαν*, & probarit, & defenderit, eos tamen, qui e-munctioris erant naris, & quibus *de meliori*, quod ajunt luto, finxit præcordia Titan, Summum aliquem Principem agnovisse, relationes *ἀξιώπισαι* ambigere non permittunt: & quamvis de Pythagora communiter circumferatur, eum plures, non tantum docuisse, sed & coluisse Deos, unum tamen optimum cogitasse DEUM hominumque Patrem, testis est *Wossius* (ψ). Abest ergo tantum, ut putemus Pythagoram plures coluisse Deos, ut potius, ne haberi quidem posse, plurium perfectissimorum Deorum ideam, existimemus. *Si Dii*, inquit

(ψ) tract. de Idol. p. 8.

Clau-

*Clauberg: (ω) Plures sunt, aut possunt illi occultare mutuo proprias cogitationes, aut nō possunt, si possunt, non sunt pariter omniscientes; si non possunt, non sunt omnipotentes. Quod autē sibi pervaserint etiam Paganorum sapientissimi, quamvis Polytheismū improbarent, & ex hāc causā etiam, plurium Deorum cultum non introduxerint, ut perfectissimorū, licere nihilominus sibi Deum, vel sub variis considerandi modis, tanquā Deos multos invocare, vel ad minimum, Deo uno Summo, subordinare minores, loco ministrorū, id, ut Divinæ notitiæ nullitatem statuerent, tantum abest, ut potius imperfectam duntaxat, Divini cultus ex lumine rationis, modum ostendat, ubi, si usquam alias, humi repit, quicquid tandem de se polliceatur, humana sapientia.*

### §. XIII.

**Q**uæ autem hoc loco de Americanis Indisq̄, sive orientalioribus, sive occidentalioribus objici sive verunt, quos Brutorum ad instar ferunt ultra citroq̄ diya-

D 2

gari

(ω) *De cognit. Dei & nostri Exercit. 20. §. 4.*

gari, & in quibus, ne ullum quidem Numinis comparere dicunt, vestigium; illa ipsa, præterquam quod, Nautarum curiositas aliud notaverit, nil probans aliud, quam (ut verba D. Dannb. (a) mea faciam) *ignem cineribus obrutum, non omnino extinctum.* Confer Heunisc: (β) & celeberr. in hac Universitate Prof. And. Wanoob. (γ) Egregie admodum in hanc rem Mornæus (δ) *sunt homines, qui nudi ferarum ad instar silvis oberrant, avia quærun, & obvia quævis depascuntur, ast, qui religionis speciei, qui Numinis sensu omni plane carerent, nulli inventi sunt, nec imposteorum etiam invenientur.*

#### §. XIV.

Quibus rudi adeo penicillo, pro re nata, adumbratis, nil restat aliud, quam ut ad ea, quæ indolem Practici istius Athei (in cujus mentionem descenduros

nos

(a) Hodof. Phenom: 6. pag. 467. (β) Theolog. disput. pag. m: 58. (γ) institut: Pract: pag. m. 150. seqq. (δ) de verit: Christ. Relig.

nos antea pollicebamur } quodammodo  
 respiciunt, verbo uno saltem, vel altero  
 attendamus. Est scilicet is (in medio  
 etiam eorum, proh dolor! qui Christo  
 nomen dederunt inveniendus) qui, cæ-  
 stro furoris, nescio cujus, inauspicato  
 percitus, ita vitam instituit, ac si nulla  
 post hanc vitam, vel metuenda esset sce-  
 lerum pœna, vel speranda aliquando la-  
 borum merces. Quamvis vero, clarissima  
 Divinæ existentiae, menti suæ impressa,  
 notio, pleno quidem inibi radiet jubare,  
 adeo ut DEUM nescire, quantumvis id  
 non raro, utut sine effectu, tenter, nullo  
 pacto possit: ita tamen, non obstante,  
 quod Divinitatis alicujus sit conscius, se-  
 gerit, ut irrationali potius Creaturæ,  
 quam homini, magis accedere videatur  
 propius. Distinguitur ab Atheo specu-  
 lativo, vel hoc potissimum nomine, quod,  
 quemadmodum is, ratione doctrinæ &  
 animi; ita *hic* ratione gestuum factorum-  
 que, talis est. Infelicissima autem quis non  
 videt, vel hanc ob causam, tempora no-  
 stra, quod plerique, proh dolor! nostrum,  
 qui

qui Evangelio fidem dedimus, qui Christum confitemur & profiteamur, ita tamen vivimus, ita vitæ rationem instituimus, ac si nihil plane crederemus: & quid potest esse, vel impium magis, vel hypocriticum? quam quod filii DEI haberi velimus, & vix horulam in anno, ne dicam tota vita, huic sacræ impendimus meditationi, abest autem tantum, ut arbor bona malos terre possit fructus, ut potius ex fructu ipsius arboris, faciendam esse conjecturam, doceat Salvator. (ε)

### §. XV.

Qvam graviter autem in DEUM Optimum delinquant Athei, cum obligationem istam adversus universi hujus Arbitrū, quæ inter congenitas præcipua est, Atheismi flagitio abrumpere conentur, dici vix, ac ne vix quidem potest. Tantum ergo abest, ut cum *Hobbessio* (η), atheismum, peccatis ignorantix, sive imprudentiæ annumeremus, consequenterque adeo ejusmodi errorem & stultiti-

(ε) *Matth.* 7. 16. (ζ) *de Civ. c.* 14. §. 19. p. 254 seqq.



titiam, quæ jure puniri nequeat, censeamus, ut potius cum *Pufend.* (1) non in DEUM duntaxat: sed & in universum humanum genus delinquere eos, intrepide asseramus. Nec obstat, quod vel hanc ob causam eos excusatius peccare contendat, loco citato *Hobbesius*, quod nunquam suam, Divinæ subjecerint, voluntatem, ut quem ne opinati quidem fuerant: summum enim imperium, neminem in nos habere, quod non sit ei, ex nostro consensu delatum, adeoque, cum Athei nunquam sub regno DEI fuerint, legibus quoque ejus regni, ipsos non obligari: Cum, quam absurdum & manifeste blasphemum sit, a Creaturæ arbitrio pendere imperium Creatoris, helboro opus habet, qui non videat, non capiat: Eo ergo venia minus prolequendi sunt, quo, ex petulanti Sapientiæ persuasione aliisq; præjudiciis, in errore summo eoq; exitiabili versantur, sive enim supra nos, sive infra nos, sive intra nos, mentis projiciamus oculos, ubique nitidissima

Nus

(1) *De J. N. & G. §. 4. p. 390.*

Numinis fulget imago, ubique majestatis, sapientiæ, & bonitatis Divinæ certissima prostant vestigia & documenta. Sed manum de tabula. Et hæc erant *Candide Lector!* quæ summa, quantum unquam fieri potuit, festinatione, chartis mandata, candido tuo, inpræsentiarum, submittere placuit judicio: non tamen hunc nobis eo fine proposuimus laborem, quasi singula ad vivum, quod ajunt, refecare fuisset animus, quin potius, ut aliis, hæc, prolixioribus persequendi, offerremus occasionem; Quæ, ne, solito candoris humanitatisque tuæ operiri dedigneris, velo, est quod enixe petimus, officiose desideramus.

DEO OPTIMO,  
IN TEMPORE ET ÆTERNITATE  
GLORIA !!!

Politissimo Juveni

DN. SAMUELI RISTELIO,

Populari & Amico suo svavissimo,  
de ATHEIS publicè disputanti.

**I**mpiger Auracis RISTELIUS ambulat agris,  
Trudit & ex animo tedia nigra suo.  
Cum formica hyemis dura memor usq; laborans  
Repit, & obvolitat parva volucris apis.  
Illā trahit tenero siccos tunc corpore ramos  
Quos reperit sylvis sedulitatis ope.  
Quævisq; est ipsa impar portandis altera portat,  
Mox cumulus crescit, surgit amica domus.  
Quærit apis flores & candida lillia campi,  
Unde avido rostro dulcia mella trahat  
Orditur noster tunc sic RISTELIUS: Et vos  
Otia sic fugitis parvula turba soli?  
Cur nos & pariter Phœbi non arva tenerent?  
Namq; olim & nobis hispida bruma venit.  
Quidve obstat, quâ nō nos Attica mella feramus,  
Atq; ex Aonio grana legamus agro?  
Nec scio nunc veniam mereant, an vera loquātur  
Qui Reges vobis muniaq; esse ferunt.

E

Nec

*Nec moror hic dictū hujus contemptoris Olympi:  
NUMEN ET EX NOSTRO FORSITAN EST  
CEREBRO?*

*Nam scio quod Rex est mortalibus unus in orbe  
Cælo qui statuit sidera clara suo.*

*Despicit & solus quæ spectat Phæbus uterq;  
Quæq; tegit tellus fert Ibetidosq; sinus.*

*Hæc dixit rediitq; domos Tutantis oliuam,  
Vindex & Spreti Numinis inde cluit.*

*Unde genu flexo esse Deos queat ipse fateri.  
Et victus Cyclops dicere: Numen adest.*

Animo promptior quam calamo  
hoc, ἀπνευσί dedit

JOH. Norgren.

---

Som med gull, blånefiand strålar/  
Den glitrand Titan står/  
Kring-lufer och bemålar /  
Alt hwad som Jorden bår /  
Och som des steen sig breder/  
Kring Himlens hwälfda Saal/  
Så seer man och med heeder/  
Herr Landyman för sitt Labl/

Och

Och Wärd med loford vrålar/  
 På Heliconis Högd/  
 Med sin lård färgad stråblar/  
 Som städz til Dnåd är bögd.  
 I thn han sinrikt öfwar/  
 Sitt tahl om den sig städz/  
 I Gudlösheeten söfwar/  
 Ut fruchta GUD och ledz.  
 Omsider så belönes /  
 Ehr möda och beswär /  
 Med Crantz af Lager Krönes/  
 Den Pallas haftt så tår.  
 I öfrigt låt en stana/  
 Ehr witra Lärdom än/  
 Men fruchtrikt söken bahna/  
 Den wäg för Siälens wän/  
 Som öf til Himla förer /  
 Ther Glädie / Lust och Trögd/  
 Som nånsin en ophörer/  
 Hoos Christum op i högd.

Med desse ringa rader / i största hast  
 betrade sin Skyldighet

HENRICHS Hertz/  
 Wib. Car.

**E**ximie a teneris, RISTELI, teste Wiburgo  
Aonidum cultor sedulus extiteras,  
Non piguit gnarum te consociare Camenis,  
Et mente Herculeâ, tædia cunctâ pati;  
Hinc tibi sic merita venient præconia fame  
Tandem & sudoris, digna brabea feres;  
Ipse precor vivas felix, longæque superstes!  
Astripotens demum te super astra debat!

Sic tenui apposuit  
crenâ,

REINHOLD Hertz/

Wib: Car:

